



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo XVI. Antiqua Monumenta Ad Historiam Mediae Aetatis Illustrandam,
Nunquam Edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1601

In Epistol. VI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64144](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64144)

fol. 22. v. 9.

Addere placuerit) Et hic & alibi passim patet Alcuinum Carolo M. misisse scripta sua censenda imò corrigenda. Unde non immerito in questionem vocatur communis illa sententia, qua dicitur Alcuinus Præceptor Caroli M. quam erudite discutit Baronius tom. 9. an. 778. cuius sententiæ subscribo. Et notandum, quod Sangallensis ille auctor de gestis Caroli M. ait, à Carolo Alcuinum honoris ergo Præceptorem appellatum, & ab aliis appellari voluisse. Et, nisi fallor, hunc honorem Præceptoris innuit ipse, cum ait infra Epistola 10. Flaccus vester legatur in literis, qui quondam audiebat in verbis.

Discipuli autem Alcuini sunt: Amalarius Treuerensis, ut ipse de se testatur de ordine Antiphon. c. 58. Eanbaldus Episcopus Eboracensis de quo lege infra Epist. 24. & 38. Macarius Episcopus, de quo Epistol. 18.

IN EPISTOL. VI.

fol. 24. v. 18.

Laidradum Episcopum) Meminit huius Ep. 8. Eginhardus testatur Laidradum testamento Caroli Magni accitum testem interfuisse.

IN EPISTOL. VII.

fol. 25. v. 22.

Huius partis cognoscendam perniciem) Huius partis perniciem, calamitates vrbis Romæ appellat.

fol. 26. v. 8.

Pro pietatis ope) ita enim correxi. In m. s. vitiose legitur: Illius ut ex vobis proprietis ope.

ii. Qui tristis venit) Ita lego, non, veniat, ut habet m. s. Nam videtur alludere ad alteram profecionem Romanam Caroli M. qui quater Romam profectus est, anno 774. vindicans Adrianum & Romanam Ecclesiam ab iniuriis Desiderij Longobard. Deinde anno 781. soluendi voti causa. Tertio contra Ducem Beneuentanum an. 786. quarto ut restitueret Leonem an. 800. quo Imperator profectus.

IN